



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Mortificationem non coniunctim, sed quasi per partes esse accipiendum.  
Cap. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

*Psal. 39.* fiet, sed non te aridum atque immundum, sed refo-  
cillatum ac purificatum relinquer. Tantis per ad ve-  
sperum huius vitae demorabitur fletus, ] sed sustine:  
quia ad matutinum latitia. ] Fletus satis modicus, &  
temperatus est, tu ipse experis, & vix lacrymulas ali-  
quas mens tristis exprimit, neque enim iudicat suos  
labores magno fletu dignos, at latitia, quae te manet,  
non est parua, sed supra omnem nostram cogitatio-  
nem eximia. Hanc nullus dolor, nulla tristitia interci-  
piet, illum vero fletum etiam in ipso oru suo immis-  
sa menti latitia temperat: ita ut homo de nouitate  
operum diuinorum stupeat. Nam postquam ex ani-  
mo, abnegatione se tradit, sic oppolita iuncta, & mi-  
sta considerat, vt & de gudio mundi tristetur, & de

*A* tristitia sui corporis, aut sensuum vehementer exul-  
ter. Merito ergo, Domine, canit seruus tuus David:  
Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant ter-  
minos à signis tuis: Exitus matutini, & vesperè dele-  
ctabis, ] Stupebit, inquam iusti, & timebunt pre  
admiratione mirabilium tuorum, quia non solum  
exitus matutini, id est, præmij, quod sperant, delecta-  
tione perfundes, sed etiam exitus vesperè, & ipsa  
mortificationis initia, in quibus demoratur fletus,  
exultatione complebis. Vi sic tuam plusquam pa-  
ternam benignitatem admireris, qui nostra im-  
becillitatis miseratus, medicamentum abnegatio-  
nis insuauie, melle dulcedinis & consolationis il-  
linis.

*Psal. 64.*  
9.

## PARS SECUNDA

### De Mortificatione exterioris hominis.

**E**XPOSITA utcumque mortificationis tum natura, tum praefantiā, reliquum  
est, ut ex generali tractatione calamus ad particularia, & magis utilia se convertat.  
In his autem, quae mortificatione reformanda sunt, esse aliquam ordinis rationem,  
Ioannes Cassianus aperte docet: & à carnalibus seu exterioribus ad spiritualia, & interiora pro-  
cedendum esse definit. Quod & Pauli autoritate confirmat. Ille enim primò castigat corpus, &  
in seruitutem redigit; postea vero aduersus principatus, & potestates collectationem instaurat. Et-  
sū, ut ipse alio loco ait: Non prius, quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale: ]  
per spiritum est à parte animali, oculisque subiecta in propria abnegatione inchoandum esse, ut  
noster labor prius fundamenta iaciat, & deinde adificationem erigat: Et à facilioribus, &  
crassioribus incipiens, ad difficiliora & subtiliora moderanda consurgat. Nunc ergo de morti-  
ficatione sensuum, & eorum, quae ad corpus pertinent, agemus, quibus cohibitis, melius de affe-  
ctionum interiorum ordinatione tractabimus.

Mortificationem non coniunctim, sed quasi  
per partes esse accipiendam.

#### CAPUT I.

**P**ERA Hominum ita ab auctore na-  
ture, Deo, instituta sunt, ut non secun-  
dum omnes suas partes simul fiant, sed  
paulatim ex initis ad media, & ex me-  
diis ad summa, extremaque procedant.  
Idque ipsa humana natura requirit, ut quoniam vir-  
tute operandi finita est, non sine limite in opus exeat;  
nec tam citò, ac res mente concipit, actione faciat;  
nec duo extrema, scilicet principium, & finem, nimis  
distantia, quasi uno imperio sui conatus attingat. Vo-  
luit autem Deus hunc modum operandi honore maximo augere, dum illum sibi, non ad suam necessita-  
tem, sed ad nostram eruditioinem assumpsit. Poterat  
enim ille orbem vniuersum momento condere, & in  
puncto durationis omnia inutabilia, & visibilia crea-  
re, noluit tamen, neque in hoc opus suum æquare  
potentia, sed illud sex diebus perfecit, & per inter-  
nulla temporis aptè distinxit, ut non solum rebus  
creatis naturam, ac perfectionem donaret, sed etiam  
de modo, ac ratione agendi mortales instrueret. Hu-  
ius rei ipsos quoque cœlos voluit esse doctores, qui

**B** quotidie hunc inferiorem mundum paulatim illu-  
minant, & primum minima luce, deinde maiori, ac  
tandem maxima, scilicet meridiana, perfundunt: qui  
segetes quasi per partes adolefcere faciunt: qui tan-  
dem circulum suum, quo hominum vitam incun-  
tur, viginti quatuor horarum mensura perficiunt. Iam homo tum à Deo auctore suo, tum à nobilissimis  
creaturis edocetus, eas in operibus suis rationem re-  
net, ut unum post aliud faciat, & in singulis eorum  
vnam, post aliud partem, elaboret, & sic omne opus  
absolutum atq; perficiat. Terram ligone domat, aratro  
subigit, spinas euellit, semina spargit, aqua irrigat, &  
fructus non celeres, sed tardos, & sensim nascentes,  
crescentes, & maturantes expectat. Artes ad vitam  
mortalem conseruandam inuenias paulatim capit,  
& ex rudibus quibusdam initis ad maiora se promo-  
uet, & ex mediocribus ad earum perfectionem assu-  
git. Scientias, veritatis doctrices, mentis ornamenta,  
& virtutis subfida, lento quodam processu conse-  
quitur, & primum vniuersalia principia intelligi,  
& postea ex illis nunc vnam conclusionem, nunc  
aliam elicere, & post multum tempus infusum, &  
magnum laborem adhibitus, perficit scientiam  
addiscit. In his omnibus, & quibuscumq; alijs ab  
homine præstis curre partitio, laboris distributio, &  
eius quod fit, erga singulas partes exercitatio, opus  
mirabiliter promouer, ac perficit, conatus vero erga

omnia

*Prov. 13.*  
11.

omnia simul exitum desideratum impedit, & desiderio laborantis obscurit. Cuius rei testis est Salomonis sententia, ita dicentes: Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.] Ipsi namque festinatio laborandi fructum minuit, & dum quis omnia accipit, omnia perdit: si verò lento gradu procedat, & nunc huic parti operis, quæ suas vires non excedit, & nunc illi manum admoueat, se peruenisse ad finem aduertit.

Eadem vita spiritualis, & aliorum operum, ratio est, quam nemo quantumvis feruidus debet simul aggredi, sed paulatim atque per gradus ad eius fastigium ascendere. Ut quemadmodum natura vitam corporis sensim perficit, & ex infancia ad pueritiam, ex pueritia ad adolescentiam, & ex illa ad sequentes ætates promovet; ita gratia spiritus ex ipso exordio ad profectum, & ex profectu ad perfectionem educat. Quod indicasse videtur Paulus: Qui ut sapiens architectus fundamentum posuit, ut alij superaedificant, ] nec putauit congruum esse, simul fundamenta facere, & parietes huius motilitionis erigere. Alibi etiam quibusdam lac primum in potum offert, & postmodum ecam fortiorum subministrat. Apud quosdam non iudicat se scire aliquid, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Apud alios vero sapientiam loquitur, nimurum apud perfectos. Ac tandem omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiae: parvulus enim est. ] Perfectorum autem est solidus cibus. His omnibus indicatum est, spiritualem vitam non esse simul secundum omnem partem accipiendam, sed quasi minutum, & vnam partem post aliam esse sectandam. Quæ autem de vita spirituali generaliter dicta sunt, in hac eius parte, quam nunc scribimus, nempe in studio abnegationis, maxime locum habent, cuius nec perseverans erit exercitatio, neque magnus profectus, nisi in ea per omnes sensus & vires animæ, singulatim procedatur. Qui enim omnes actiones simul in mortificatione aggreditur, & ex mero seculari & prophano homine repente perfectus, & ab omnibus suis vitiis alienus prodire contendit, is forte tanto oneri minus sufficiet, & tristitia obrutus, ab eo quod imprudenter ceperat, citè desit. Non poterit etiam magnam abnegationis peritiam assequi, qui uno eodemque tempore curam suæ mentis in tam varia ac diversa studia diffundit. Et sicut venator, qui multas feras è nemore egredientes inseguitur, & huc illucque vagatur, sepe nullam earum capit, & non solum fatigatus, sed & vacuus in domum reddit: ita qui omnia coniunctim exteriora, & interiora moderari nititur, nihil perfectè moderatur. Quare in Psalmis scriptum est: Quoniam ordinatione Domini perseveraverat dies: ] nam si ordinatio ac debita dispositio, id est, discretio absit, ut interpretatur Bernardus, nec perseverantia in die virtutis erit, nec quod cœptum est, ad propositum finem perfectionis assequenda conducet. Hanc enim non abnegationis inceptio, sed consumatio, aut nonnulla affectionum nostrorum subiectio affert, quæ sine animo in abnegatione ingiter perdurante non subsistit.

Abnegationi ergo ita insistendum est, ut prius faciliora, & postea difficilia aggrediamur; ac tam in his quam in illis non simul vniuersos hostes, sed vnum post alium proligemus. Prius, exempli gratia, cura nostra oculos comprimat, deinde aures componat; ac ita suo ordine reliquos sensus cohibeat: quibus in seruitem redactis, aduersis cogitationes & affectiones bellum gerat: his vero vt cumque repressis proprium amore, propriam voluntatem, proprium iudicium, & reliquos aduersarios ex proprio amore

A manentes subiiciat. A facilitoribus incipientum esse Bonaventura docet his verbis: Non tamen in principio ardua, sive multa, prælumant. Nec sine licentia aliquid notabile attinet, sed à minoribus virtutibus paulatim ad maiores confendant. Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo, benedictione caret. ] In omnibus verò ordinem esse tenendum, & singula, quæ perfectioni obseruant, sigillatim esse moderanda, sanctissimi Macharij Egyptij confirmat auctoritas: qui interrogatus, an virtutum paulatim sit extirpandum, in hunc modum respondit: Quemadmodum in vtero imperfectus infans, non quamprimum crescit in hominem, sed paulatim formatur, & gignitur, neque mox perfectus homo euadit, sed longo annorum succelitu augetur;

B & vir efficitur: tñque veluti semina tritici aut hordei, quæ terra mandata non statim radicum producent; sed vbi transire hyemes & venti, tum opportuno tempore spicæ nascuntur: idem qui pyrum plantat, non mox fructum percipit: eodem etiam modo in rebus spiritualibus, vbi tanta sapientia est & subtilitas, paulatim augetur homo, euaditque in virum perfectum, & plenitudinem ætatis, non, ut quidam auunt, induere, & exuere. Qui discere litteras optat, pergit primùm ad ediscenda ligna, in quibus cum fuerit primus, inigrat ad scholam Latinorum, in qua est omnium postremus: denuo cum ibi primus eatur, proficisciatur ad scholam forensem, in qua rursum est omnium nouissimus & principiarius: deinde scholasticus effectus, omnium Caufidicorum nouitus & extremus est, tum dux euadit: qui vbi magistratum fuerit asequeutus, adiutorem sibi sumit alesforem. Si ergo in rebus externis tot habet homo promotionis gradus, quanto magis cœlestia mysteria multis gradibus atque promotionibus acquiruntur, & tum qui per multas exercitationes, & varia rerum pericula, progressus fuerit, perfectus euadit? ] His omnibus similibus beatus hic Abbas rationem perficiendi animum ac moderandi patefecit: quam, si vita sanctorum meditamus, aperte videbimus fusse ab ipsis obseruatam. Cum enim primum se ad opus perfectionis attingebant, mentem suam, ut agrum spinis, tribulis, & tentibus plenum, considerabant, quem non vno die totum excolere, (hoc enim non est possibile) sed multo tempore, & per partes purgare, emollire, & seminibus ditare curarunt, ut tandem fructum omnium virtutum afferret, & ab iniuersis suis imperfectionibus peccatisque discederet. Ita sanè virtutem acquirendam esse monuit Ecclesiasticus, dicens: Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam, & vñque ad canos inuenies sapientiam. Quasi is, qui arat, & seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius. ] Dum enim sapientia ac virtus amatorem agricola aranti, & semina iacenti, comparat, quid aliud significat, nisi quod sicutis hoc anno vnam faciem sui agri arat & seminat, & sequenti anno alteram aratio scindit, & seminibus compleat, ut cumulatum inde fructum percipiat: ita vir iustus non erga terram istam, sed erga cot suum spiritualem agri colationem exercens, nunc hanc animæ potentiam, nunc illam à defectibus purgat, & virtutis seminibus ornat, ut nullâ sui partem tyluscentem, & fructum non ferentem sustineat? In quo labore multo est ratore terra felicit: nam hic ex agri facie, quam anno præterito aravit, & seminavit, & præsenti anno non colit, nullum fructum colligit, iustus verò ex parte animæ, quam elapsi diebus reformatum, quotidie, cum moderata attentione conseruandi, quod emendatum est, fructus etiam iustitiae decerpit. Illa enim pars vomere abnegationis

Bonav. in  
speculo 2.  
p. princi-  
pali c. 2.

Machiar.  
hom. 15.  
longè an-  
te finem  
habet. 2.  
To. Bibli.

Ecclesi. 6.  
18.

exculta

*1. Corin.*  
9. 10.

*1. Corin.*  
3. 2.  
*1. Corin.*  
2. 2.

*Hebr. 5.*  
13.

*Psal. 118.*  
92.  
*Bern. ser.*  
49. in  
*Cant.*

exculta habitum alicuius virtutis acquirit, quo suauiter & faciliter per semitas virtutis ducitur, & ad id quod secundum rationem est, gratia aspirante, permouetur.

Hanc rationem perficiendi seipsum, quam sancti exemplo docerunt, & Ecclesiasticus monuit, quisquis tenere debet, si vult non mediocres in virtute progressus habere. Seipsum igitur pictorem existimet, qui non in tabula cedri aut cupressi, sed in proprio corde & corpore imaginem Christi Salvatoris effingit. Et sicut pictor singulas partes imaginis format, quam penicillo elaborat: ita modestia oculorum Christi in oculis suis, & circumspectionem atriū eius in auribus, & virtutes alias in reliquo anima viribus ad viuum exprimere & delineare contendat. Discat ex sponte terreni hominis, quomodo mentem suam expolite debeat. Illa enim non simul se totam ornat, sed quasi per partes pulchram & decoram efficit. Primum faciem lauat, inde oculos fibro pingit, capillaturam crispat, aures inauribus, collum torque, & manus annulis, & dextrocherii excolit, & le totam incredibili diligentia comit. Sic omnino mens, qua Christi connubium ambit, non sit in sui ornatu minus diligens, vt tanto sponso placeat, sed singula, qua ad se pertinent, ligillatim exornet. Nihil habeat, quod non seorsum inspiciat, quod non ex profeso componat, quod non separati censura mortificationis emendet. Animam ita mundatam & emendatam sponsus de pulchritudine laudat, eiisque oculos, caput, collum, pedes, & ceteras partes magnificis verbis in cantico Cantorum commendat. Actandum sic omnem laudationem concludit: Quām pulchra es, & quām decora charissimain deliciis! Quā sentētia, quā admirationem continet, aperte ostendit anima pulchritudinem non esse admirabile, nisi ex omnium sensuum ac virium decole confusat. Omniaque esse mundanda & polienda, vt anima non iam amica, sed amicissima & charissima nominetur, cui cœlestes deliciae proueniant. Ad tantam pulchritudinem paulatim & per gradus ascendit, & dum nunc exteriōra, nunc interiora mundantur, perfecta pulchritudo ac mundicies acquiritur. Si enim magister tellum puerum paulatim erudit, & vnam veritatem post aliam animo eius ingerit. Si adificator nunc vnum lapidem, nunc alium in aedificio ponit, & hac minuta lapidum substructione magnos parietes erigit, & arcem regiam ad umbilicum perducit: Si corporalis salutis cupidus cibos sibi oblatos non simul glutit & deuorat, sed vnam buccellam post aliam in stomachum ingerit; quid faciet puritatis secessores nisi istos imitari, & virtutis doctrinam, non generaliter tantum, sed specialiter, & per partes addiscere? Seipsum igitur veluti egregius doct̄or minutatim erudit, & suā menti sapientiam cupienti, sapientiae doctrinam insiller. Putet se adificare esse palatij Regis eterni, cuius nunc in suo corde vnam partem, nunc aliam adscifit. Nec tot simul cibos spirituales deglutiatur, id est, in tempore, moderanda & disponenda apprehendat, vt calor mentis ea minimē coquere, & in propria subtantia commutare sufficiat.

Sitaque virtus sic à virtutis spiritualibus discenda est, ita etiam est à doct̄ore tradenda, vt tantundem hic offerat, quantum discipulus colligit, & in omnibus doctrina disciplināque consentiant. Quare nos, qui artem nunc abnegationis tradendam aggredimur, ex qua præcipue omnis virtutis actio dependet, eam per singulas partes anima discurrendo tractamus. Immò & in qualibet abnegatione, ad finem illius, coronidis loco, speciales actus, quibus se iustus

A abnegare debet, attingimus, ne quis vñquam ignorantia tribuat, quod non seipsum abnegavit, & pa- rum in hoc sanctissimo studio profecit. Tu, Domine, qui omnium honorum es auctor, & non solum sapientum, sed & ignorantium erudit, stylum rempera, verba dispone, & mentem pro te laborantem gratia visitationis illustra, vt seipsum possit simul cum aliis piis mentibus, quae ista legerint, incitare, & ad sanctam abnegationem, ac tui imitationem, permouere.

### De Mortificatione Oculorum.

#### CAP V T I I.

**H**ec est homini magna & luctuosa miseria, cui aditum per peccatum aperuit, quod dona preciosa de manu creatoris accepta in ipius donantis offendit, ac in suam perniciem damnationēque conuertit. Id ita esse omnia creata, ab homine iniuria affecta, & vltionem de eo à communi creatore efflagitantia proclamat. Vniuersa namque quae Deus condidit, visibilia & inuisibilia, corporea & spirituaria dona homini concessa sunt, quae illi vel ad vitam spiritualem consequendam, vel promouendam, vel ad vitam naturalem seruandam seruunt. Quid autem istorum est, quo homo aliquando non sit abusus? Quid est, quod non peccati instrumentum fecerit? Quid est, quod non tanquam telum in Dominum suum eiaculauerit? Terram facit domum iniquitatis; mare viam auaritiae; aera, & ventos vanitatis seruire cogit; ignem, in ministerio crudelitatis & homicidiorum occupatum tenet; cœlis & altis sepe ad superstitionem: Sole & Luna, & Angelis ad idolatriam est vñsus: & nihil est tam sanctum, tam purum, tam reconditum, quod in malum usum trahes, non interdū alicuius peccati malitia fodauerit. Ideo lob, vt quasi summam omnium suarum virtutum faciat, & maximum suæ innocentia testimonium in medium proferat, ait: Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent: si fructus eius comedì absque pecunia, & animam agricolarum eius afflxi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Quā sentētia indicat euidenter terram, & vniuersa alia hominum causa creata, aduersus peccatores clamare, & quasi prædesiderio vltionis deflere, cùm se vident ad ministeria iniquitatis adacta, & in materiam offenditiois diuinæ conuerta. Ne vero longius euagemur, hæc calamitatē nostram, non iam in foro, sed in dominibus nostris, & intra nos ipsos inspicimus. Nam quid rogo est in homine, siue ad mentem eius, siue ad corpus pertineat, quod non proprio hominis damno, & diuinę indignationi provocande subterfuerit? Omitamus nunc intellectus errores, & cœcitates, voluntatis odium ac peruersitatem, sensuum interiorum figura, concupisibilis vilitatem, itascibilis furor, & solum corpus, ac sensus externos contemplentur, in quibus innumerabilia videbimus, quæ & Dei iram accendant, & nostra perniciem machinentur. Corpus quidem donum Dei est, quod anima in domicilium, in vehiculum, in instrumentum salutis dedit. Oculi dona Dei sunt homini data, vt per illos veluti per fenestras splendidissimas, atque pulcherrimas, solem & lunam, & reliqua corporea conspicere, & ex illis tanquam ex vestigis creatoris magnitudinem apprehēderet. Aures, & olfacti, & guttandi vis, ac tactus per omnia membra diffusus, dona Dei sunt, quibus homo necessaria percipiat, & intelligibilium ac cœlestium notioni se

Tob 31,  
38. 39.  
40.

E